

tali ad visitandum pauperes Christi. ¶ Et facta ratione ut supra dictum est, si <sup>1)</sup> aliquid supererit ultra expensas factas, tam de laboratura vinearum quam expensis vite pauperum et victus et vestitus, ac etiam pro spedelariis, ut supra dictum est, illud tale superfluum deponi debeat in augmentatione dicti hospitalis vel infirmorum Christi. ¶ Et si prior Sanctorum Martirum de Tergesto vel dominus decanus Tergesti (resistere) vellet oviare vel resistere tali curatori posito per comune ad predicta, tunc per dominium Tergesti auxilietur defendetur et favoriçetur, sub pena ducentarum libr. par. pro <sup>2)</sup> potestate et 10  
81 A libr. centum pro quolibet iudice, et // sub dicta pena non possit poni ad maius consilium de rumpendo vel frangendo dictum statutum.

Cap. LII. Rubrica de forma sacramenti vicinitatis. Et qui reputantur vicini. R.ca. 15

Ordinamus quod quicumque receptus fuerit in civem Tergesti per maius consilium iurare debeat vicinitatem et habitationem perpetuam civitatis Tergesti, et suo posse operari honorem et commodum civitatis predicte, et <sup>3)</sup> credere mandatis domini, et facere omnia quem ad modum fatiunt alii cives, et de hiis omnibus attendendis securitatem fatiet comuni secundum possibilitatem suorum bonorum, quam securitatem dominium Tergesti accipere teneatur sacramento. ¶ Et nullus possit recipi in civem sine voluntate maioris partis consillii, et nullus possit recipi in civem qui esset (rusticus) rusticus alicuius domini, ac qui non esset liber et absolutus. 25  
¶ Et talis receptus ad dictam vicinitatem dare debeat et teneatur bonum et sufficientem fideiussorem pro se, de servando omnia in presenti statuto contenta, et facere domum de lapide in civitate Tergesti in contrata Prelaser, et habeat terram a 30  
comuni infra tres annos postquam receptus fuerit in civem,

<sup>1)</sup> et aliquid superaddiderit, poi corretto in *superadderit*. Statuti del 1365: *si aliquid supererit*. <sup>2)</sup> *pro-libr.* aggiunta marginale. <sup>3)</sup> et *facere et credere mandatis domini, et omnia*. Rimetto a posto secondo gli Statuti del 1365.